

nobilitatis regni suspensuros se excommunicationes et<sup>i</sup> interdicta, quae lata sunt contra nobiles, qui proficiscentes ad bellum, anno superiori actum, bona ecclesiarum et decimas violarunt et receperunt, usque ad conventum generalem praedictum.

[8]. Item ad eum ipsum conventum generalem futurum abbates, qui non suscipiunt nisi Almanos, et qui etiam tantummodo plebeos suscipiunt et non nobiles ad monasteria sua, vocari debebunt<sup>6</sup>.

[9]. Domini similiter, qui in castris suis habent litteras terrestres, ut in Thanczin, Tharnow, Camieniec, Rzemien etc. vocari debebunt ad eundem conventum cum eisdem litteris terrestribus, ibi producendis.

[10]. Debebunt etiam domini spirituales ita se comparare<sup>j</sup> et consilium capere cum capitulis et clero suo, ut in conventu futuro omnia decerni et statui possint, de quibus saepius questa est nobilitas.

Quae omnia et singula, ut praemissum est, statuimus et decrevimus<sup>k</sup> ita fieri debere praesentibus litteris nostris<sup>l</sup>. Quibus in testimonium sigillum nostrum est subimpressum<sup>m</sup>. Actum et datum in conventione<sup>n</sup> Piotrkoviensi, feria sexta proxima ante festum sanctorum Trium Regum anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo secundo [3 I 1522], regni vero<sup>o</sup> nostri anno<sup>p</sup> quinto decimo. Ad mandatum Regiae Maiestatis proprium<sup>q</sup>.

## II. CONFIRMATIO IURIUM TOTIUS NOBILITATIS TERRARUM RUSSIAE<sup>a</sup>

In nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Omnim rerum, quae sempiternae memoriae commendari debent, nulla certior firmitudo inveniri potest, quam ut litteris posteritati mandentur. Cetera enim facta, quantumvis memorabilia, alii modis aeternitati dicata, aliquot quidem saeculis durare possunt; sed quae litteris memoriae commendantur, nunquam intereunt, ipsaque vetustate fiunt augustiora. Proinde nos Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, necnon terrarum Cracoviae etc. manifestum fieri volumus, ut praesentibus, ita futuris, harum notitiam habituris, quomodo accedentes ad conspectum nostrum praelati et barones terrarum nostrarum Russiae, tam spirituales quam saeculares, ac nuntii terrarum, nobiscum in praesenti conventu agentes, nobis supplicaverunt, ut eos circa iura, libertates, privilegia, donationes et concessiones infrascriptas, per clarissimae memoriae dominum Casimirum, parentem nostrum desideratissimum, concessa et concessas, conservare, tueri ac manuteneret et defendere, ac eadem privilegia innovare, approbare et ratificare dignaremur. Quorum iurium et privilegiorum tenores secuntur in hunc modum:

In nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Casimirus, Dei gratia rex Poloniae, nec non terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciae, Cuiaviae, magnus dux Lithuaniae, Pomeraniae, Russiae, Prussiaeque dominus et haeres etc., significamus tenore praesentium quibus expedit, universis, praesentibus et futuris, harum notitiam habituris, quomodo recentes et in animo revolventes, quanta puritatis, affectionis et fidei integrae constantia praelati, comites, barones, milites et nobiles, spirituales et saeculares, terrarum Russiae, sincere nobis dilectique fideles personam

<sup>i</sup> Brak w MK<sub>2</sub>.

<sup>j</sup> komponere MK<sub>1</sub>.

<sup>k</sup> decernimus MK<sub>2</sub>.

<sup>l</sup>-l WMK<sub>2</sub>: praesentibus litteris nostris ita fieri debere.

<sup>m</sup> impressum MK<sub>2</sub>

<sup>n</sup> WMK<sub>2</sub>: in conventione generali.

<sup>o</sup> Brak w MK<sub>2</sub>.

<sup>p</sup> Brak w MK<sub>1</sub>.

<sup>q</sup> Całej ostatnie zdanie opuszczono w MK<sub>2</sub>.

<sup>a</sup> Tekst ten oparty jest na MK<sub>1</sub>, t. 37, k. 327-329v.

<sup>b</sup> WMK<sub>1</sub>: ac.

<sup>6</sup> Jak stwierdził O. Balzer (CIP, t. 111, nr 261, s. 644), zapowiadane w tym artykule wezwanie do opatów niektórych klasztorów, aby się stawili na najbliższym sejmie celem usprawiedliwienia, dlaczego przyjmują do zakonu tylko Niemców i plebejuszów, zostało wydane przed sejmem zwołanym na początek 1523 r. Król polecił opatom klasztorów obrzańskiego, łędzkiego, wągrowieckiego, koronowskiego, bledzewskiego i paradyskiego, aby się stawili na sejmie cum suis privilegiis, quibus delectum facere soleant in his, quos ad ordinem suum asciscant et nostrates suscipere recusant (B. Zamoyskich, TG, AT, t. 4, nr 371).

nostram venerati sunt, atque dilexerunt, eapropter duximus in ipsos incolas terrarum Russiae occultos pietatis nostrae aperire, et eis gratiam hanc, quam actu et opere, velut athletae fideles contra tyranidem infidelium Tartarorum dienus pugnando, comprobaverunt et exhibuerunt, sinceritatis constantia, uti decet, et gratitudine compensare, et ex certa nostra scientia et de consilio nostrorum consiliariorum, ipsis praelatis, baronibus, militibus et nobilibus terrarum Russiae omnia iura, privilegia, litteras et munimenta, quae a divae memoriae regibus et principibus Poloniae, praedecessoribus nostris regni Poloniae, veris et legitimis haeredibus, super quibusunque bonis et libertatibus habere dignoscuntur rite, iuste et legitime in vita ipsorum emanatas, et quas hic habere volumus pro insertis, in eorum omnibus punctis, conditionibus, clausulis, capitulis et articulis universis, approbamus, innovamus, ratificamus et confirmamus perpetuis temporibus et aeviternis duraturas. Sed quia nonnulla iura praedecessorum nostrorum sunt diminuta, quae pro conservatione ipsarum terrarum indigent reformatione ac additione, ideo articulos infra scriptos praesentibus duximus confirmando, approbando et ratificando. Inprimis, quod in rebus et negotiis, quae concernunt et tangunt terras Russiae, nihil faciemus, nisi consiliariorum earundem terrarum consilio communicato et accepto, et hoc temporum qualitate et necessitate exigentibus. Praeterea dum se nobis feliciter transitus per terras Russiae obtulerit, non faciemus nec committemus causas per aliquos iudices aut terrigenas forenses, seu extraneos alterius terrae iudicare, sed solum per iudices et officiales illarum terrarum, prout in aliis terris regni nostri, tempore nostri adventus, consuetum et solitum est fieri et observari circa talia iudicia, iudicandas committemus; causas vero pendentes indecisas, nobis de ipsis terris recendentibus, dignitariis et iudicibus terrarum ipsarum committemus in mandatis terminandas et decidendas, ubi causa vertetur, secundum aliarum terrarum regni nostri, ut praefertur, consuetudinem et observantiam. Insuper statuimus: quod kmethones terrigenarum per capitaneos ac alios officiales ipsorum violenter non recipientur in servitatem vulgariter mordiniae, hoc expresso, nisi prius villicus alias *cywan* seu *watman* cum omnibus kmethonibus possessionatis super eo iuraverint, quod sit de eorum genere et servitute, et quod ignoraverint eum per tantum tempus, per quod defuit. Praeterea eximimus et liberamus omnes et singulos nobiles et terrigenas a solutione teloneorum, ut nullus ipsorum telonea a rebus ipsorum duntaxat, a piscibus, quos de eorum piscinis, non pretio arendatis vel emptis conduixerint vel vendiderint, solvere debebunt nec sint adstricti, removentes ac auferentes omnem daciam, quae ab olim de piscibus nobilium terrigenarum tollebatur et exigebatur. Insuper statuimus, ut kmethones dum accusantur de furtis, per capitaneos aut eorum officiales, sine voluntate haeredum non captiventur, sed ut in aliis terris regni nostri practicatur et est consuetum, ita observari de eisdem volumus. Decernimus etiam: quod omnes et singuli mercatores vii solitis et consuetis cum eorum bonis et mercantiis deambulent, nec illorum bona quisquam ad vias insolitas divertere audeat quovis modo. Insuper statuimus: ut quicunque terrigena instituit nova telonea sine nostra aut praedecessorum nostrorum voluntate et auctoritate, ipso facto bona sua perpetua amissionem amittet. Quos quidem articulos suprascriptos firmiter et inviolabiliter observare et tenere promittimus et pollicemur praesentium per tenorem, et sigillo nostrae maiestatis, quam primum sculptum et elaboratum fuerit, communire et sigillare. In cuius rei testimonium etc. Actum in conventione Novae Civitatis [Korczyn] feria sexta post undecim milium virginum anno Domini MCCCCLVI<sup>c</sup> [22 X 1456]. Relatio venerabilis Ioannis, vicecancellarii<sup>d</sup>.

Kazimirus<sup>e</sup> Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiaeque

<sup>c</sup> Tekst ten opublikowany jest w *Ius Pol.* p. 392, pt.: Privilegium terris Russiae in conventione Novae Civitatis anno 1456 concessum. J. W. Bandtkie zaczerpnął ów przywilej z nieopublikowanego drukiem VII tomu Kodeksu dyplomatycznego M. Dogiela.

<sup>d</sup> Na tym kończy się przywilej z 1456 r.

<sup>e</sup> Tekst ten opublikowany został przez X. Liskego w *Aktach Grodzkich i Ziemskich*, t. V, nr CLTV, s. 204-205, na podstawie dokumentu, który znajdował się wówczas w archiwum miasta Lwowa pod nr 227.

dominus et haeres significamus tenore praesentium, quibus expedit universis, quomodo in nostra, praelatorum et baronum nostrorum constitutas praesentia generosus Nicolaus Gologorszky, subdapifer Leopoliensis, nobis sincere dilectus, nomine omnium praelatorum, dignitariorum et terrigenarum Russiae videlicet Leopoliensis, Praemisiensis, Chelmensis, Haliciensis, Sanoczensis, Snatynensis et Podoliae terrarum, gravi cum querela exponebat: quomodo praedicti praelati, dignitarii et terrigenae praedictarum terrarum crebris vicibus extra dictas terras per diversas personas ad conventiones generales citantur et evocantur pro bonis haereditariis ac aliis iniuriis earundem, propter quas evocationes et citationes longinquas, magnas impensas et gravamina paciuntur et neque infidelibus Tartaris emulis nostris resistere possunt, petivitque, ut easdem evocationes et citationes ad conventiones generales duntaxat ad nostrum felicem adventum in dictas terras Russiae et Podoliae propter dictas causas suspendere dignaremur, ut omnes dicti praelati, dignitarii et terrigenae in dictis terris omnibus de se querulantibus in dictis terris Russiae et Podoliae et earum districtibus iustificantur, unde de consilio praelatorum et baronum nostrorum, visis oppressionibus et gravaminibus dictorum praelatorum, dignitariorum et terrigenarum Russiae et Podoliae terrarum, eosdem a dictis evocationibus et citationibus extra dictas terras ad conventiones generales pro bonis aut iniuriis eorum duntaxat ad nostrum felicem adventum in eosdem terras Russiae et Podoliae liberavimus, eximimus et tenore praesentium liberamus et eximimus. Inhibentes, ut de cetero nullus taliter, uti praemissus, extra dictas terras videlicet Leopoliensem, Premisiensem, Chelmensem, Haliciensem, Sanocensem et Snatinensem ac Podoliae districtusque earum audeat ad conventiones generales sive particulares aliquem ex dictis praelatis, dignitariis et terrigenis duntaxat ad nostrum felicem adventum ad dictas terras citare et evocare, sed quilibet in terris et districtibus earundem terrarum iustificari cuilibet de se querulanti sit astrictrus.

Harum quibus sigillum nostrum praesentibus est appensum testimonio litterarum.

Datum in conventione Pyotrkoviensi generali feria secunda in crastino sanctae Barbarae anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo [5 XII 1457], Relatio reverendi patris domini Iohannis episcopi Wladislaviensis, regni Poloniae cancellarii<sup>f</sup>.

Nos<sup>g</sup> igitur Sigismundus rex, qui naturae benignitatisque nostrae instituto ea, quae ad ornamentum, dignitatem, amplitudinem et conservationem dominiorum et subditorum nostrorum spectare videntur, grati libertissimum concedimus, ad earundem igitur praelatorum, baronum et nuntiorum terrarum Russiae, nobiscum in praesentia hic agentium [supplicationem]<sup>h</sup> pro laude Dei optimi maximi et sanctorum eius omnium, proque terrarum nostrarum Russiae incremento ac tranquillitate, quiete, stabilitate et conservatione, suprascripta privilegia, iura, praerogativas et exemptiones, ac omnia et singula in ipsis contenta, in omnibus et singulis eorum punctis, clausulis, articulis et conditionibus, prout iacent, ex certa scientia nostra ac consilio consiliariorum nostrorum nobiscum existentium, innovanda, approbanda et ratificanda duximus, confirmamusque, approbamus, innovamus et ratificamus praesentibus, decernentes ea robur debitae et perpetuae firmitatis obtinere tenore praesentium mediante.

In cuius rei testimonium etc. Datum in conventione generali Pyotrkoviensi, sabbato, ipso die festi sancti Thomae apostoli, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo [27 XII 1521], regni vero nostri anno decimo quinto, praesentibus [...]. Datum per manus eiusdem ut supra<sup>i</sup>. Relatio eiusdem<sup>k</sup>.

<sup>f</sup> Na tym kończy się przewilej z 1457 r.

<sup>g</sup> W tym miejscu powraca tekst z MK<sub>1</sub>, por. wyżej przyp. a.

<sup>h</sup> Wyraz w MK<sub>1</sub> opuszczony. Uzupełnienie pochodzi od O. Balzera.

<sup>i</sup> Wykazu świadków brak i nie można go uzupełnić, choć w MK<sub>1</sub> jest tu dodane: ut supra. Najbliższy jednak akt z wykazem świadków w 37 tomie MK<sub>1</sub> pochodzi z 1519 r.

<sup>j</sup> Na podstawie formuły najbliższego aktu w MK<sub>1</sub> uzupełnić można: magnifici Christophori de Schydlowyec palatini et capitanei Cracoviensis ac regni nostri cancellarii, tum Siradiensis, Sochaczoviensis, Novae Civitatis Korczin, Gostinensis etc, capitanei, sincere nobis dilecti.

<sup>k</sup> Idzie tu zatem również o Szydłowskiego; por. wyżej przyp. j.